

Ad coastam Asiaticam sunt, Samo, Scio. Metelino, Psiro, Tenado: Ad Europam Saronico, Salamina, Ægina. Hinc superato Capo delle colonie, Nigropontus est, regina Insularum Archipelagi, cum sua metropoli ejusdem nominis; patria Aristotelis: habet duo promontoria, il Casareo, & il Ceneo fluvius, il Coreo, & il Nileo.

Nigropontus ad septentrionem habet Siro, ubi educatus Achilles olim, ad occidentem Sciati, & Scopulo, & alias insulas. Versus Thraciam, Lemnus est, aliis Scialimene, ubi mons Vulcani. & Tasso di Lembro, & Samothracia, hodie Samandrachi.

PROPONTIDIS & MARIS MAJORIS.

Navigaturo versus Constantinopolim canalis vastissimus, inter Asiam & Europam, tripartito nomine, Hellepontis, Propontidis & Bosphori Thracii. In Propontide sunt insulae, Marmora, Cyzicum. Sequuntur circa Constantinopolim Insulae S. Andreae, principis & aliae. E regione Chalcedonis.